



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Cap. VI. De Gratiano illustri Imperatore, & Iustina Imperatrice haeretica
Arriana.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

De Gregorio Nazianzeno & Ambrosio doctore.

Gregorius apud Nazianzon oppidum in locum patris Episcopi, subrogatur, famosissimus in doctrina & hæreticorum validissimus oppugnator. Vnde & Constantinopolin ad docendam ecclesiam transfertur. Per idem tempus functo *Liberio* Romano Pontifice, *Damasus* succedit in Apostolatam; contra quem *Vrsinus* schismaticus præsumit; Apostolicam sedem defendentibus alterutris, & bella moventibus, adeo ut humano sanguine implerentur orationum loca. Sed adest assertor innocentia Deus *Damaso*, prudenti & innocenti viro. Et apud *Mediolanum* defuncto *Auxentio*, Episcopo hæreticorum, *Ambrosius*, vir primo Consularis, subito populi clamore Episcopus eligitur, adhuc tamen catechumenus; sed mox ante ordinationem suam baptisatur. *Valentinianus* regnat x. annis.

CAP. V.

Mors Valentis.

Interea *Valentinianus* Imperator diem obiit, filiis suis *Gratiano* & *Valentiniano* relinquens imperium. Sed & *Valens* frater ejus, Gotthis insurgentibus, fugiens bello, flammis exustus est.

CAP. VI.

De Gratiano illustri Imperatore, & Iustina Imperatrice heretica Arriana.

Igitur *Gratianus* cum fratre admodum parvulo post *Valentem* quoque *Orientis* suscipit Imperium. Hic pius

pius fuit ac religiosus, armis strenuus, velox corpore, ingenio bonus, & plus verecundus, quam Reipublicæ intererat. Vnde & ad curam, & administrationem rerum *Theodosium* accivit, virum utilem, & armis maturum, Orientis ei procuratione permiffa. Qui *Gratianus* postquam multa religiofe & fortiter gessit, & à *Maximo* Britannorum tyranno peremptus est, post se in occiduis partibus relinquit *Valentinianum*. Cujus interim mater *Iustina* persequitur Ecclesiam, comminans sacerdotibus exilia, nisi *Ariminensia* suscipiant decreta. Sed & *Ambrosium*, turrin adversus hæreticos validissimam, multa oppugnatione fatigat; quem & persuaso filio parat exilio condemnare, sed à populis, incredibiliter amantibus *Ambrosium*, impeditur. Qui *Ambrosius* adversus Reginam, non se manu defendat ac telis, sed jejuniis & obsecrationibus indefinenter insistit; donec, vindice Deo, tyranno *Maximo* perurgente, versa in fugam, cum filio exilium fortitur.

C A P. VII.

De Theodosio pio Imperatore.

Interea *Theodosius* beneficiorum *Gratiāni* memor, ad vindictam ejus totis viribus Orientis insurgens, sanguinem justum ulciscitur, regnum recuperat, fidem Catholicam restituit, quam *Iustina* violaverat: &
 O inde